



# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

138. Christus in regione Genezareth omnes malè habentes sanitati restituit.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

## MEDITATIO CXXXVIII.

*Christus in regione Genezareth omnes  
malè habentes sanitati  
restituit.*

I. **C**Um transfretâssent, venerunt in terram Genesar; *Matth. 14. & 34.* in terram Genezareth, & applicuerunt: cùmque egressi essent de navi, continuò cognoverunt eum. *Marc. 6. & 53. & 54.*

II. Et percurrentes (viri loci illius, *Matthæi 14. & 35.*) universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se malè habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse: *Marc. 6. & 55.* & obtulerunt ei omnes malè habentes. *Matth. 14. & 35.*

III. Et quocumque introibat in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. *Marc. 6. & 56.* Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. *Matth. 14. & 36.*

*Alia ex S. Marco.*

I. Iesus cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba à Galilæa, & Iudæa, secuta est eum, & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem; & qui circa Ty-  
rum

rum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. *Marc. 3. v. 7. & 8.*

II. Et dixit discipulis suis, ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum: multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent, quotquot habebant plagas. *Marc. 3. v. 9. & 10.*

III. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei: & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum. *Marc. 3. v. 11. & 12.*

## MEDITATIO CXXXIX.

*Christus plurimos agros sanat in monte.*

I. **V**enit Iesus secus mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi. *Matth. 15. v. 29.*

II. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos. *Mat. 15. v. 30.*

III. Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israël. *Matth. 15. v. 31.*